Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collatio locorum de consolatione

Melanchthon, Philipp

Vvitenbergae, 1549

Sextus.

urn:nbn:de:bsz:31-61720

Visual Library

ſupra iudicia Philoſophica, positi in immenſa bonitate Dei, in Euangelio patefacti & reuelati ex ſinu æterni patris per filium, ſed quia fides in hominibus languida eſt, Ideo his dulciſsimis conſolationibus minus mouentur homines.

Sextus.

Promiſsiones Dei, quæ affirmant Deo placere obedientiam in cruce, & promittunt auxilium & mitigationem in hac uita, & liberationem poſt hanc uitam. Nulla creatura ſuo iudicio, ſine diuina reuelatione intelligit ſe placere in magnis miſerijs, multo minus ſtatuit Deum adeſſe, & uelle opem ferre. Ideo diuinitus promulgata eſt hæc conſolatio. Eſaiæ 57 Affirmat Deus ſe habitaturũ in afflictis inuocantibus ipſum. Et Pſalmo 33: Prope eſt dominus his qui tribulato ſunt corde. Et Pſalmo 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Et præcipue cogitemus promiſsionem traditam eſſe ijs qui ſtudia Euangelij fouerunt & adiuuarunt. Tene

atur

atur igitur hæc uera & efficacissima consolatio, nos non casu affligi, sed sciente Deo, nec ideo adfligi, ut pereamus, sed ut crescant in nobis penitentia, fides, inuocatio, & agnitio præsentiæ Dei, ut saluemur, iuxta illud. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Septimus.

Ad promissiones accedant fides, inuocatio, & spes auxilij & liberationis, nec ethnico more cogitemus, si sumus Deo curæ, seruabimur etsi nec petimus nec expectamus auxilium, Nec indulgeamus dubitationi, sed firmissime statuamus mandata Dei esse, ut ipsum inuocemus, etiam in calamitatibus, & petamus ac certo expectemus auxilium & mitigationem etiam in hac uita, & uel in hac uita, uel post hanc uitam liberationem, nec existimemus hanc inuocationem, hanc fidem, & hanc spem irritam esse, sed confirmemus nos pmissionibus, ut quicquid petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis.

Vult